DE NUMERO ORATORIO COMMENTATIONEM ACADEMICAM, CONS. AMPLISS. FACULT. PHILOS. LUND. MITI...

Pehr Dahlstedt, Olof Ståhl





De

NUMERO ORATORIO

COMMENTATIONEM ACADEMICAM,

Cons. Ampliss Facult. Philos. Lund.

mitis bonorum censuræ

modeste subjiciunt,

PRAESES,

PEHR DAHLSTEDT,

Phil Mag.

et



RESPONDENS,

OLOF STÅHL,

Smalandus

In Acad Carolina d. XXVI Maji, MDCCCXXIV.

Hor a m sl

P. I.

LONDINI GOTHORUM,

EX OFFICINA BERLINGIANA,

MDCCCXXIV.

De Numero Oratorio.

Felicissimus sermo est, cui & rectus ordo & apta junctura, & cum his Numerus opportune cadens contingit.

QUINCT.

Quamquam nobis illi perbene praecipere videntur, qui vetant ullam, quaecumque fuerit, eloquentiae virtutem perspicuitati anteponi, caeteris tamen prudenter esse serviendum, numquam profecto dubitavimus. Omni quidem orationi in primis propositum est, ut, quae cogitemus ac sentiamus, ea ab aliis intelligantur. Sed accidunt saepissime tempora, cum non satis esse putamus, sententiam nostram tantummodo intelligi, volumus etiam, ut, quae dicantur, animos aliorum moveant & delectent. Praeterea videntur illae, quae dicuntur eloquentiae virtutes primariae, perspicuitas, gravitas & suavitas, inter se tam arcte cohaerere, ut, una si a caeteris divellatur, haud parum noceatur orationi? At quemadmodum alia, in quibus cum delectatione utilitas, cum arte natura conjuncta est, ab intelligentibus pluris aestimantur, quam quibus harum altera omnino deesse reperitur, sic oratio polita & quodammodo facta rudi & inconditae non nisi a male sapiente postponitur. Quis annulum aureum, politum gemmisque clarissimis ornatum auro rudi, quod eodem quo ille pondere est, non praeferendum existimat? Quam ob rem qui eloquen-

tiæ laudem assequi voluerit, ei non solum erit cavendum, ne quid vitiosi & obscuri insit in oratione, sed etiam efficiendum, ut eam ita ornet ac poliat, ut eorum, qui audiunt, animi flectantur ad delectationemque deducantur. Ad orationem autem ornandam permultum valet illa, quæ vulgo dicitur verborum collocatio. In verbis vero collocandis vix est credibile, quantum operæ ac diligentiæ posuerint veteres Græcorum Romanorumque dicendi artifices. Constat, Athenas literarum humaniorum domicilium fuisse virosque ibi vixisse omni eloquentiæ laude cumulatissimos. Horum haud ita pauci subtiliorem verba componendi eorumque conversiones absolvendi doctrinam proponere minime dedignati fuerunt. Inprimis Gorgias, Lysias & Isocrates huic orationis generi operam haud mediocrem dedisse traduntur. Atque Romanos, qui reipublicæ tempore liberæ studiis literarum diligentius incumbere cœperunt, in iisdem percipiendis multum studii collocasse ob eamque rem gloriosos exstitisse, quis nescit? Non solum Romanorum doctissimi, verum etiam reipublicæ gubernandæ principes scientiæ rerum & eloquentiæ assequendæ causa peregrinantes gentium politiorum exempla studiose sequebantur. Athenis, ut alia omittamus loca frequentes versati fuerunt & ex Græcia, unde omnia fere, quæ orbis terrarum præclare & egregie habet, aut inventa aut mirum in modum perfecta fuerunt, magnum doctrinæ & elegantiæ thesaurum deportarunt. Qui igitur cum ut in aliis, sic in hac re, quam quærimus, Græcos imitarentur, ad suam quoque linguam perfectiorem suavioremque reddendam primi aggrediebantur. Ita factum est, ut, quæ in Græcis laudanda & imitanda viderentur, eadem a Romanis avide recepta fuerint. Similis est ratio *Numeri illius Oratorii*, in quo, ut poterimus, explicando hæc qualiscumque disputatiuncula versabitur. Sed ut res plurimum habet difficultatis, ita L. B. minime erit mirandum,

si hoc opusculum mecum tibi visum fuerit atque imperfectum.

---

§. I. De praestantia linguarum diversarum, sonum si respexeris, non eadem sunt judicia. Nec id mirum. Quemadmodum enim, moribus diversarum populorum spectatis, alias libera & simpliciter, alias verecunda & urbana agere & loqui magis probatur, sic etiam fieri potest, ut quae vox Italis, exempli gratia, dura & horrida videatur, eam Sueci dulcem suavemque sentiant. Quae igitur in genere si contentio quaedam & comparatio complurium linguarum fiat, non satis constare videtur, quaenam sit anteponenda. Attamen varia possunt afferri, quae, si rem non probant, certe eam reddunt verisimilem. Videtur itaque lingua, quae ab indigenis aegre pronuntiatur, alii leniori esse postponenda. Si autem fieri posset, ut duae linguae, quarum altera durior, altera lenior esset, ab una eademque gente aeque facile afferrentur, illa, siquidem satis haberet sonorum mollium, huic esset praeferenda. Sonus enim mollis & lenis permulcet animum & pace ad quiescendum efficit, durus & horridus eum erigit & incitat. Ita fit, ut, cum crebris sonis mollibus horridisque variandis delectet auditores, lingua, quae ejusmodi est naturae, aliis, quae aut ex horridis solum aut ex lenibus constat, antepomenda existimetur. Praeterea si ad ipsa linguarum elementa, vocales & consonantes, attenderimus, non nihil forte ad rem pertinens assequemur. Vocales, si contentionem earum ac remissionem spectaveris, naturalem sonorum gradum constituunt & hunc observant ordinem: i, e, a, o, u a). Et quamquam sua cuique earum est suavitas, ta-

---

a) Vide Grundsätze der Kritik von Heinrich Home, übersetzt von Johann Nicolaus Meinhard, 2ten Band; pag. 27f. seqq.

men, si inter se comparentur, aliæ aliis suavius melliusque sonare videntur. Cum enim, ut testatur Cel. Clodius, id, quod re vera musicum est, in perpetua sonorum continuatione consistat, vocales i & u, quæ fines soni determinant, non tam bene sonant, quam quæ intra fines versantur. Jam vocales a & o tenuissimam u proxime antecedunt, ortum sonorum optime demonstrant & sunt, ut ita dicam, ceteris vocaliores b). Suavior itaque ea est lingua, quæ hisce vocalibus frequentata est, quam quæ illas habet rariores. Hæc inter alia sunt in causa, cur lingua Græca & Italica, in quibus hæ vocales quasi accumulatæ sunt, tantum gratiæ musicæ habeant. Multæ quoque Diphthongi si quæ in lingua crebro occurrunt, ad sonum suaviorem reddendum multum valent. Duplex enim sonus simplici semper est dulcior. Hoc vel ex eo intelligi potest, quod in fidibus canendo, si interdum duo nervi certo modo simul plectro pellantur, hic sonus magis delectet aures, quam qui editur, si unus tantummodo pulsatus fuerit. Atque ut rem brevi complectamur, quo plures vocalium modificationes in lingua quadam inveniuntur, eo plus in ea quoque inest dulcedinis soni. Quo in genere si recte judicare velimus, nulla omnino lingua est, quæ cum Græca comparari possit. De quo si qui nihilominus dubitent, eos ad hosce Homeri versiculos delegamus;

— — — — μετὰ δὲ, κρείων Ἀγαμέμνων,
ὄμματα καὶ κεφαλὴν ἴκελος Διὶ τερπικεραύνῳ,
Ἄρεϊ δὲ ζώνην, στέρνον δὲ Ποσειδάωνι c).

Quis est, qui non audiat, quanta soni dulcedo ex crebro α proficiscatur? Neque hoc solum in versibus Græcorum,

---

b) Vide Entwurf einer Systematischen Poëtik von C. A. H. Clodius; 1sten Theil; pag. 346.
c) Iliad. II. 477.

verum etiam in soluta illorum oratione usu venit. Inter ceteras Europae linguas etiam Gallica atque, ut libere confitetur Cel. A. W. Schlegel, Germanica d), ubi mutum illud e quasi dominatur, molliores hasce vocales desiderant. At ut lingua Romana cum Graeca arctissimo contingitur vinculo, ita, suo spectato, dulcissima est. Confitemur quidem necesse est, in illa non tam crebro quam in hac inesse vocalium modificationes, suave illud o non tam saepe occurrere, sed, si ipsam orationis formam spectaveris, utraque lingua mirifice consentit. Atque si minus in aliis, certe in concinnitate, modo & ordine lingua Graeca & Romana hodiernis adeo excellunt, ut in hoc genere saltem hae illis longe cedant, & sint, ut ita dicam, famulae existimandae.

Sed quoniam de elementis linguarum sermo injiciebatur, de iisdem paullo amplius disseratur. Vocalis igitur i acutissima est, imo u. Sed cum quivis saltus rerum naturae displiceat, in promtu est, multum interesse, quomodo a vocali ad vocalem vox transeat. Sic vocabulum *Turris* non tam bene sonat, quam vox *Tagus*; in illo enim cum e voce ima ad acutissimam statim transeatur, secus nihil habet continuationis. Id autem ipsum gratiam musicam laedit. At non solum vocales, sed consonantes etiam musicum quiddam continent. Harum si singulas consideraveris, aliae majorem, aliae minorem afferunt pronuntiandi difficultatem. Ad illas inprimis r & literae, quae appellantur palatinae, commode referri possunt. Omnino ut consonantes sonum diutissime remorantur, ita ejus dulcedini maxime officiunt. Mutae, quae dicuntur, continuationem soni quasi dirimunt ideoque sunt liquidis ineptiores. Hae enim, praesertim l, m, n, af-

d) Vide scriptum menstruum, quod inscribitur Phosphoros, pag. 511. Upsaliae 1811.

fiebant, ut transitus a sono ad sonum commodior sit; ob eamque caussam r ad liquidas referri potest. Praecipue litera n semi ergo observanda, haec enim inter Consonantes eundem, atque a inter vocales occupat locum &, si utraque litera conjungatur, dulcissimus exsistit sonus e).

Hic non videtur alienum de accentibus & quantitate syllabarum pauca quaedam interponere. Inter accentum & quantitatem hoc maxime interest, quod ille sonum, & flexiones socii in pronuntiando, haec autem mensuram cujusque syllabae & tempus ad illam efferendam necessarium complectitur f). In linguis veterum ille huic non serviebat, sed dissimilis erant naturae atque ad se invicem sicut qualitas ad quantitatem, referebatur g). In linguis autem hodiernis, ut in Franco-Gallica, Italica & Anglica, aut ad quantitatem syllabarum non attenditur, aut accentus & quantitas, ut in linguis septemtrionalibus, ita coalescunt, ut syllaba longissima plerumque acutissima sit, & quae cum accentu effertur, ea sit longa h). Haec in lingua Graeca & Romana non tam in usu erant. Tamen in illa, praesertim apud Homerum multa inveniuntur exempla, ex quibus satis apparet, adjutore accentu, syllabam naturae brevem in longam coaluisse i). Apud Romanos quoque, testante Cel. Harrmoon, veteres Tragici & Comici ad solum fere accentum attenderunt, quaetite.

e) Clodius pag. 346, seqq.

f) Nouvelle Methode pour apprendre facilement la Langue Latine, p. 670 & 732, douzième edition; Lutetiae Parisiorum 1762.

g) Phosphoros pag. 499.

h) Clodius l. c. pag. 390 & Phosphoros pag. 513.

i) Vide Iliad. II 473, ubi in vocabulo [illegible] α in ω convertitur idcoque producitur syllaba natura brevis.

7

tam saepenumero negligantes k). Tres, ut constat, linguæ Græcæ sunt accentus, quorum unus, qui acutus (´) dicitur, in contentione vocis, alter, qui gravis (`) appellatur, in remissione consistit; tertius autem circumflexus (˜) ex utroque superiorum in unum coaluit. Linguæ quoque Latinæ haud deerant accentus, id quod vel ex his Ciceronis verbis suspicari licet: Mira, inquit, est quædam natura vocis; cujus quidem, e tribus omnino sonis, inflexo, acuto, gravi, tanta sit, & tam suavis varietas perfecta in cantibus l). Quomodo syllabæ acuto et gravi instructæ apud Græcos & Romanos pronuntiarentur, haud ita difficile sermo effingi potest, rationem autem illius, quem circumflexum vocant, explicare multo est difficillimum. Quantum probabili conjectura assequi licet, vocalis circumflexa ex duabus brevibus, quarum altera acuto, altera gravi signata erat, exstitit (Χερσῖον Χερεῖν) in eaque pronuntianda a gravi ad acutum adscensum & rursus ad gravem descensum est, hic autem adscensus & retro descensus utrum repentinus fuerit, an per quosdam sonos intermedios permeaverit, adhuc, quod nos intelligimus, in dubio versatur. Jam in quæstionem cadere potest, utrum apud antiquos signarentur accentus, nec ne; & si adscripti fuerint, quando atque ad eo quomodo, utrum ejusdem atque hodie figuræ essent, an dissimiles. Varie disputatur, Signatio accentuum Græcorum etiam hodie usitata, Auctore Cel. Buttmann, ab Aristophane Byzantio ducentis annis ante nostram æram in usum inducebatur m). Sic quoque in dubium vocari

k) Handbuch der Metrik von Gottfried Hermann; pag. 69. Lipsiæ 1799.

l) Cic. Orat. C. 17.

m) Les Anciens ne marquoient point ces tons, parce que leur étant comme naturels dans leur propre langue, l'usage seul etoit

potest, fuerintne antiquitus accentus Latinorum signati, nec ne, verisimile tamen est, eandem eorum atque Graecorum fuisse rationem n).

§. II. Hisce ita expositis ad numerum, qui graece ῥυθμὸς dicitur, ita transgredimur, ut primum nonnullas Numeri definitiones, a variis auctoribus propositas, deinde originem ejus & causam, tum eam, quae inter numerum & metrum intercedit, differentiam, post illius naturam, qualis in oratione soluta cernitur, & tandem ejus usum, ut vires cognoverint, in medium proferemus. Numerum itaque definit Cel. Home hunc in modum: Der musikalische Eindruck, den ein Periode macht, der aus kurzen und langen, in eine gewisse Ordnung gestellten, Sylben besteht, ist derjenige, was die Griechen Rhythmus, die Lateiner Numerus und wir Melodie oder Sylbenmaass nennen o). Cel. Hermann ita: Rhythmus, inquit, ist die Aufeinanderfolge von Zeitabtheilungen nach einem Gesetz p). Multa quidem argute de ratione rhythmi disserit, sed in eo, teste Glodio, sine dubio errat, quod eam esse dicit primariam omnis rhythmi legem, ut spatia temporum (Zeitabtheilungen) omnino pares esse debeant q). Cel. Schellerus hanc nobis Numeri Oratorii

suffisant pour les y accoûtumer, au lieu que depuis ils furent inventés, on pour arrêter la prononciation dans la Langue ou pour la faciliter aux Etrangers, ce qui est vrai au regard de la Grecque &c. de la Latine, aussi bien que de l'Hébraïque, qui n'avoit pas ses points du tems même de saint Jerôme. Nouvelle Methode &c. pag. 732

n) Griechische Grammatik von Philipp Buttmann; Achte Ausgabe, Pag. 21, Berolini 1818

o) Home l. c. p. 371

p) l. c. pag. n

q) l. c. pag. 9

definitionem tradit: Numerus est certa & æqualis mensura & proportio membrorum (s. partium h. e. verborum, sententiarum & soni ationum eorum, quæ ad se invicem referuntur atque sic unum Totum constituunt r). Plane quidem atque egregie hac de re disputat; illud tamen est animadvertendum, quod numerum omnino ita considerat, si in æquali membrorum periodi proportione cernitur; numerus autem ad eas etiam pertinet, quæ illum verborum ambitum non habent. Inter alia quæ varie & copiose de Numero Cicero tradit, hoc offerre in animo est: Quidquid, inquit, est, quod sub aurium mensuram aliquam cadit, etiam si abest a versu, (nam id quidem orationis est vitium) Numerus vocatur s). Hæc autem, pace Ciceronis dixerimus nobis nimis infinita videtur explicationemque certa desiderant. Illud vero melius: Numerus, inquit, in continuatione nullus est, distinctio, & æqualium & sæpe variorum intervallorum percussio numerum conficit, quem in cadentibus guttis, quod intervallis distinguuntur, notare possumus; in amni præcipitante non possumus t). Quare aut paria esse debent posteriora superioribus, extrema primis, aut, quod etiam est melius & jucundius longiora t) Hinc illud Celeberrimo Home observandum videtur quod ex guttis cadentibus, sive æqualibus sive variis intervallis distinguantur nihil numerosi existit, ad hoc enim efficiendum, illo judice, certus sonorum numerus requiritur u). Recte quidem disputat si de Numero Oratorio agitur, Numerus autem, affirmante Quinctiliano in corporis etiam motu v) atque adeo in tota rerum natura versatur x). Præterea multi Numerum alii aliter definierunt.

r) Schelleri præcepta Stili bene Latini, P. I. pag. 261.
s) Cic. Orat. C. 20.
t) Cic. de Orat. Lib. III. C. 48.
u) Home 4. c. p. 372.
v) Inst. Orat. Lib. IX. Cap. 4.
x) Phosphoros pag. 494.

Clodius autem, qui inter omnes, quos nobis videre contigit, hac de re acutissime disputare videtur, inter alia egregie: Wenn wir, inquit, mehrere von einander getrennte Töne in einer Zeitfolge nach einander hören, so wird anfangs damit wie durch fallende Tropfen, nur eine Succession der Zeit anschaulich gemacht. Aber man unterscheidet doch das, was sich in der Zeit bewegt, von der Zeit selbst, und in dieser Bewegung denkt sich der Geist eine freye Kraft. In so fern er nun nach und nach mehrere Bewegungen von einander abhängig macht, und meynt, dass die eine ihrer Zeitlänge nach so oder anders folgen müsse; in so fern schreibt er der sich bewegenden Kraft eine Art Gesetzlichkeit zu. Diese Gesetzlichkeit nennt man Rhythmus y).

Jam ad originem & caussam Numeri Oratorii brevissime explicandam accedimus. Romani, ut jam diximus, in studio Eloquentiae Graecos, quibus praecipuam dicendi laudem concedebant, in primis dignos, quos imitarentur, judicarunt. Dicuntur itaque Thrasymachus Chalcedonius & Gorgias Leontinus primi arte quadam verba vinxisse. In quo dicendi genere inde Theodorus Byzantius multique alii, λογοδαίδαλοι a Socrate nominati, elaborasse feruntur numerisque inservisse; sed hoc ut primum nascens nimis studiose versiculisque similiter tractarunt z). Est scilicet ea rerum humanarum lex, jam principio sancita, ut nihil omnino inventum atque idem continuo perfectum sit. Ac si non numquam, certe raro cuiquam mortalium datum est, ut aliquid a se inventum perfectionem reddere possit. Sic quamvis ab illis, quos nominavimus, Numerus Oratorius inventus sit, tamen non nisi per Iso-

y) Clodius l. c. pag. 336 & 337.
z) Cic. Orat. Cap. 12, 13 & 52.

eralem perfectionem quandam & quasi formam venustiorem assequebatur. Illi enim cum parum moderate numerose dicendi studio numerisque minutis aut nimis & intemperantes, aut concisi & praefracti nec satis rotundi viderentur, hic orationem primus temperavit ac verbis numerisque mollioribus eam amplificare & ornare instituit. Atque haec ita tractasse dicitur, ut dicendi studiosissimus quisque domum ejus, quae cunctae Graeciae quasi ludus quidam & officina dicendi patuit, ejus audiendi causa se contulerit a). Hinc cernere licet, Isocrati perfectionem Numeri, non ipsam inventionem esse adscribendam. Causam illius si quaesiveris, in necessitate naturae nostrae primum esse eam quaerendam, facile intelliges. Clausulas enim ut ait, Cicero, atque interpunctio verborum animae interclusio atque angustiae spiritus attulerunt. Id inventum ita est suave, ut si cui sit infinitus spiritus datus, tamen eum perpetuare verba nolimus b). Deinde videntur suavitas, perspicuitas atque etiam gravitas in causa fuisse, cur in oratione soluta Numerus adhiberetur. Aures profecto nostrae, quae orationem ad animum perferunt, ita natura fabricavit, ut, quae perfecta sint & moderata, his delectentur, mutilis etiam & nimis productis vehementer offendantur. Res praeterea, auctore Schellero, Numero magis oculis exponuntur & subjiciuntur animoque sentiuntur. Ita factum est, ut numeri a Poëtica ad Eloquentiam traducerentur. Quam ob rem ut in natura rerum, & artibus necessitatem delectatio consequitur, sic in oratione quae naturae necessitas effecerat, haec, cum arte polita & perfecta essent, jucundissima inveniebantur.

At cum Grammatici, ut testatur Clodius, Rhythmum & Metrum, quasi idem valerent, usurpaverint, hinc, ut pro-

a) Cic. Orat. Cap. 13. Brut. Cap. 8.
b) Cic. Orat. Lib. III Cap. 46.

positum sint, dicendum est, quaenam intercedat differentia. Sermo in tempore evolvitur, eodem etiam metiendus est. Tempus autem continuum est & in spatia vel minima dividi potest. Certum igitur temporis spatium, quod χρόνος, tempus aut mora etiam vocatur, breve habetur & syllaba hujus temporis brevis appellatur. Hoc vero tempus si duplicatur, longum ponitur ac syllaba dicitur longa. Hinc verba Quinctiliani: Longam esse duorum temporum (syllabam), brevem unius, etiam pueri sciunt c). Illa autem tempora magis sunt exigua, quam ut eorum ope repetitio quaedam apte observari posit. Majores igitur mensurae, quae pluribus constant syllabis quibusque facilius capiuntur, inventae sunt. Illae monstrant quomodo syllabae breves ac longae variandae sint, ac dicuntur pedes, regiones, ordines. Hi singuli pedes quantitatem non arceat in syllabarum complectuntur, si autem simul collocantur, suum quemque tempus distinguit ideoque ictum d), quem dicunt, desiderat. Hicce ictus in primam pedis syllabam longam plerumque cadit. Cum itaque ejusdem generis pedes repetantur, uno eodemque etiam ordine repetendus est ille ictus, ideoque pedes tempora dicunt. Sic antiqui versus iambicos, trochaicos & anapaesticos duobus pedibus, dipodiis s. syzy-

---

c) Instit. Orat. Lib. IX. Cap. 4.

d) De vocabulis ictus ἄρσις & θέσις Cel. Hermann ita disserit: Nun kan sich eine freye Ursache nur durch ihr Anheben aus eigener Kraft offenbaren. Dieses Anheben aus eigener Kraft heisst ictus. — Die freye Ursache selbst heisst ἄρσις, von der Erhebung der Stimme. So erklärt dieses Wort Priscian S. 1289. Bey den andern Grammatikern wird fälschlich die erste Hälfte jedes Fusses ἄρσις genannt. Die auf die freye Ursache als deren Wirkungen folgenden Zeittheilungen heissen θέσις. Priscian S. 1289. Bey den andern Grammatikern wird fälschlich die zweyte Hälfte jedes Fusses θέσις genannt. l. c. pag. 12 & 13

gia nominatis, metiebantur, hisque nomen metri præcipue imponebant, quoniam tum demum certus quidam ordo existeret. Unus scilicet tantummodo per legem quidem, e. g. ᴗ —, non seriem metricam significat; si autem repetitus fuerit, hæc. idu certo tempore & ordine revoluto, existet ᴗ – | ᴗ – | ᴗ. Hinc nomen jambici trimetri (Jambiel senarii) ortum. Pedem varietatis gratia interdum cum pede, qui eodem plerumque atque ille est temporis spatio, commutari posse, neminem fugit: tamen pedi primario ut ita dicam, imprimis serviendum. Jam ex uno vel duobus metris versus exsistit. Sed præter hosce mengures arte lucentes, rhythmus quosdam verborum ordines (ordfötter), ut a Cel. Klopstock vocantur, efficit, qui ad metriros ita relati, ut sibi invicem utrique repugnent cæsuram, quæ dicitur, constituunt e). Si itaque Rhythmum, qui metra numquam cervit, spectaveris, hocce versiculus ita distribuitur:

Fervet opus, | redolentque thymo | fragrantia mella.

Hinc cernimus, a Rythmo ordines metricos cæsuræ abscindi ab eaque versus in partes inæquabiles distribui. Non numquam quidem coalescunt Rhythmus & Metrum; pessimus autem ille est versus, ubi unusquisque regio exsanguis verius efficitur, ut:

Illico mulcent aures dulcia carmina divum.

Heic congruunt; exitus enim verborum ad rhythmum finiendum adjuvat. Rhythmum quasi vincit metrum debilemque ei plane eripit libertatem. Proficiscitur igitur ex eo musica ille versuum suavitas: quod sibi invicem rhythmus & metrum repugnant: hoc tempus æquabiliter distpartit, ille tollit æquabilitatem, in eaque ipse inter se

e) Phosphoros pag. 501.

maxime differunt f). Huc pertinent ea, quae affert Quinctilianus, de differentia Rhythmi & Metri ita disserens "Rhythmi, inquit, id est numeri, spatio temporum constant, metra etiam ordine. Sunt & metrici pedes, sed hoc interest, quod rhythmo indifferens est, dactylusne priores habeat breves, an sequentes, tempus enim solum metitur. In versu non poni potest pro dactylo anapaestus. Sunt & illa discrimina, quod rhythmis libera spatia metris finita sunt. Inania quoque tempora rhythmi facilius accipient" g).

§. III. De Natura Numeri, quatenus in oratione soluta cernitur, hoc loco disseretur. Cum igitur Numerus in sono temporum secundum legem quandam distribuendo consistat, tempora in ordine sonorum verborumque partium per sonos, qui, spectata eorum diuturnitate, ab auribus inter se comparati, ad se invicem referuntur. Illud autem ante omnia observandum, quod haec temporum partitio ad certum definitumque mensuram minime exigitur, tum enim Metrum esset, non Numerus. Illa vulgo Periodus numerosa recte, quae habet interpuncta quaedam & membra, ubi spiritus revocari potest sensusque verborum quodammodo percipitur h). Ex his ipsis membris & interpunctis illa temporum spatia conficiuntur. Singula vero haecce membra numerosum quiddam constituant, id est, quandam temporum proportionem, quae dicitur, observent. Cui tamen proportioni ita compositum esse debet, ut & partitionem sententiarum evidentem reddat & auribus probetur, h. e. ut nec brevitate eas quasi defraudet nec longitudine frangat, nec certo definitoque

f) Vide hac de re Clod. l. c. pag. 378 seqq.
g) Quinct. l. c.
h) Clodius pag. 338.

modo (id enim saepius dicendum) repetito computari possit. Hoc enim vel ex eo intelligi potest, quod enunciationes periodi, ut sensus, qui exprimatur, per gradum quemdam quasi adscendit aut descendit, jam longitudine crescunt, jam decrescunt. Quemadmodum ad metra, ita ad rhythmum ictum, qui temporum spatia in medium afferre conatur, pertinere memento. Tempora autem ob ictu repetito quasi abscissa, non sicut paria esse consideranda, per se patet. Cum igitur periodus sit quasi Rhythmi sedes & vehiculum, quomodo ex illius structura hic existat jam videamus. Periodum quae tum ambitus, tum circuitus, tum comprehensio aut continuatio aut circumscriptio latine appellatur, el. Schellerus ita definit. Periodus dicitur ac dici debet, quando enunciatio aliqua, quae hoc respectu primaria dici possit, per interjectam aliam vel etiam plures interdum enunciationes secundarias v. c. explicantes, definientes, causales, conditionales, concessivas, temporales &c dissecatur. In simplicem & compositam vulgo dividitur. Haec composita dici potest duplex, triplex &c. i). Habet Periodus, auctore Quinctiliano, minimum duo membra, medius numerus videtur quatuor, sed recipit frequenter plura k). Cum igitur velit Cicero, ut paria sint posteriora superioribus, extrema priora aut etiam longiora, hujus generis tria traduntur praecepta. Primum enuntiationes inter se arcte conjunctae atque ita unum Totum constituentes erunt, ubi fieri licet, aequales, (quodammodo proportionales) & aeque multa ejusdem generis verba sibi invicem eodem modo respondebunt. Deinde membrum posterius disertae enuntiationis insertum aut par esse debet, aut, si fieri potest, longius. Tum verba adeo concinne finientur,

i) Cetera videsis apud Schellerum l. c. pag. 237 seqq.
k) Quinct. l. c.

ut eorum compages, quæ totam claudit sententiam, vel præcedenti æqualis, vel saltem non nimis præ illa brevis sit l). Hæc quo magis perspicua fiant, exempla rem probantia, afferentur. Si igitur Ciceronis verba m), *Quis enim tibi hoc concesserit, aut initio genus hominum in montibus ac silvis dissipatum, non prudentium consilio compulsum potius, quam disertorum oratione delinitum, et oppida moenibusque sepsisse,* ad primum illud præceptum accommodaveris, invenies oppositionem; *prudentium consilio compulsum* & *disertorum oratione delinitum*, ubi genitivus, ablativus & participium genitivo ablativo & participio respondet. Horum vocabulorum, quæ sibi invicem opposita sunt neutrum, salvo numero, omitti potuisset nisi alterum, huic respondens, etiam fuisset omissum. Quam ob rem si prætermisisset Cicero *compulsum*, prætermittere quoque debuisset *delinitum*, si dixisset a prudentibus pro *prudentium consilio*, etiam fuit ei dicendum a disertis pro *disertorum oratione*. Hoc itaque Numeri genere spectato, videmus, unum vocabulum uni vocabulo, bina binis, terna ternis atque adeo enuntiationes enuntiationibus opponi n) Ad alterum si respexeris Numeri genus, hæc exempla applicare licet: *Ego, inquit Antonius, mirari soleo, quem negarem tot tantis, quam scripsi, libello, me invenisse eloquentem* o). Item: *In prælio mortem pater oppetebat, domi filius nuptias comparabat* p) Hæc quo-

l) Schell l. c. p. 265

m) Cic. de Orat. Lib. I. Cap. 9.

n) Hoc alterum alio exemplo affirmari potest. Conferte hanc pacem cum illo bello, hujus prætoris adventum cum illius imperatoris victoria, hujus cohortem impuram cum illius exercitu invicto, hujus libidines cum illius continentia; ab illo, quæ cepit conditas, ab hoc, quæ constitutas accepit, captas dicetis Syracusas. Citatur exempli causa in Cic. Orat. Cap. 50

o) Cic. de Orat. Lib. III Cap. 49.

p) Auct. ad Herenn. Lib. IV Cap. 20.

quae exempla ad tertium Numeri genus illustrandum afferri possunt. Hoc enim, quamvis quaedam intercedat differentia, alteri finitimum est. Illud de partis posterioris, quae quidem partem praecedentem respicit, alia autem huic & subsequi & deesse potest, hoc de ultimi omnium membri, id est, sententiam claudentis, nisi unum sive plura praecesserint, modo agere intelligendum.

Sed non modo membra atque incisa, ut ait Quinctilianus, bene incipere atque cludi decet, sed etiam in iis, quae non dubie contexta sunt, nec respiratione utuntur, illi vel occulti gradus; ut in his: *Animadvertis, judices, omnem accusatoris orationem in duas divisam esse partes* q). Cui autem teretes sunt, qui hoc numerose dictum esse non sentiat? Duo enim prima verba & tria proxima, & deinceps duo rursus ac tria suos quasi numeros habent, spiritum sustinentes. Si autem verba hunc in modum immutantur: *Animadvertis, judices, omnem orationem accusatoris divisam esse in duas partes*, hi numeri omnino evanescunt. Quam ob rem ut oratio ad strepitum digitorum non descendat, sic, ne in sermonem vulgi & puerorum abeat, sollicite erit cavendum. Praeterea in numerose dicendo cum tenore, qui jam longam, jam brevem verborum seriem desideret, spectandus erit, tum curandum, ut, cum recitabitur oratio, tempore opportuno, id est, cum per sensum licet, anima colligi possit. — Cum autem suadentibus Cicerone & Quinctiliano, verba ad numeros poëticos ita sint componenda, ut hi in tota oratione apte permisceantur, de hoc rhythmi genere paucis dicemus. Jam est, judice Quinctiliano omnis rhythmus aut par, ut dactylus (— uu), aut sescuplex, ut paeon

q) Quinct. l. c.

(— ∪ ∪ ∪), aut duplex, ut jambus (∪ —). Hi autem pedes sunt etiam metrici eosque in orationem incidere solitum, vel ex eo intelligi potest quod, ut idem confitetur, omnia versuum genera, licet id in oratione vitiosum sit, auctoribus non sentientibus exciderunt. In quaestionem autem cadere potest, quinam horum in orationem optissime quadrent. Vetat M. Tullius, cum jambus & dactylus maxime cadant in versum, & hic sit in oratione sollicite evitandus, hosce pedes continuari paeonem autem, cum ad versum minime aptus sit, commode adhiberi contendit. Confitetur tamen, se ea esse sententia, licet paeonem maxime probandum causeat, omnes in oratione esse quasi permistos & confusos pedes, &, ne similitudine ille offendat, reliquos etiam esse usurpandos r). Praeterea multa de numeris poëticis in oratione apte varieque permiscendis, apud Ciceronem & Quinctilianum disseruntur, quae ob iis neque semper observata sunt neque observari possunt; ideoque ea referre supervacaneum ducimus

§ IV. Jam, ut promisimus, in usu numeri paulisper commorabimur. Primum autem observandum, numerosam, quam veteres maxime commendant, orationem existimari, non quae tota e numeris constet, sed quae ad numeros proxime accedat. Ex apta scilicet verborum collocatione Numerus sua sponte exsurit. Spectata vero verborum compositione, vetant veteres illi dicendi artifices, verba extrema cum primis subsequentibus ita jungi, ut absonum quiddam efficiatur. Providendum itaque est, ut ne aut plures vocales, quibus, cum ore pronuntientur hiato, vasta fit oratio & hiulca, aut plures consonantes, quibus illa dura & aspera redditur, committantur. Quod nisi cautum fuerit, oratio, quamvis graves sint sententiae

r) Cic. Orat. Cap. 57.

atque jucundæ, eorum, qui audiunt, aures offendet. Monosyllabæ & Polysyllabæ, si plura sunt, male continuabuntur. Illæ orationem subsultantem, hæ tardam reddunt. Deinde videndum, ne ordo verborum perturbatus sit, sed aptus & cohærens. Vix verbis dici potest, quantum apta verborum locatio ad orationem perspicuam reddendam valeat, vitiosa quantum officiat perspicuitati. Jam quid jucundius esse potest, quam si orationis membra ita suo quæque loco locata fuerint, ut, sicut annuli catenæ se invicem amplectuntur, apte cohæreant & formæ conclusionisque verborum suum orbem conficiant? Paria igitur paribus, contraria contrariis apte respondebunt omninoque efficiendum erit, ut ne decrescat oratio & e gravioribus ad minuta quædam & minus gravia descendat. Ut animum omnes res humanæ, ab exiguis initiis profectæ ad majora tendunt; sic sententiæ a parvis exorsæ augeri & insurgere debent. Tum huic verborum collocandorum diligentiæ subsequitur modus & numerus. Membra igitur sibi invicem proportione quadam, quæ sub sensum, non sub certam aliquam mensuram cadere possit, respondebunt numerisque variis apteque permiscenda. Clausulæ, quæ præcedentibus quasi serviunt, diligentius sunt servandæ. Tota quidem oratio nisi varie composita fuerit, auribus vehementer displicebit; sed, præsertim si uno eodemque modo semper conciderit, futurum est, ut, cum institerit, ideoque iis, qui audiunt, tempus ad judicandum concessum fuerit, summum moveat fastidium a). Præterea cum in clausulis vox se remittere soleat, adeo ut auditores, nisi vocabulum longius sententiam claudat, ea, quæ dicuntur, facile percipere nequeant, videtur inter alia hæc difficultas in causa fuisse, cur velit Cicero, ut sententiæ verbis

---

a) Primo enim numerus agnoscitur; deinde satiat; postea cognita facilitate contemnitur. Cic. Orat. Cap. 63.

Eniantur t) Quædam clausulæ, ut ait Quinctilianus, sunt claudæ atque pendentes, si relinquantur; sed sequentibus suscipi ac sustineri solent, eoque facto vitium quod erat in fine, continuatio emendat. *Non vult P. R. obsoletis criminibus accusari Verrem.* Hoc si dixisset, restantia esset durum fuisset, sed cum sequentibus, *Nova postulat, inaudita desiderat,* continuatur, salvus est cursus. Hinc intelligimus, a præcedentibus interdum sequentia quodammodo præfiniri desiderarique. A clausulis si discesseris, sortis summam requirunt diligentiam: ad hæc etiam aures arrigunt auditores. Cum sententiam ordiuntur, non sunt omnino cum superioribus tam arcto vinculo conjuncta nec iis quasi parent; ratio autem clausularum, quæ sint iis, quæ præcedunt, apta accommodandæ, plus habet difficultatis. Medio si spectaveris, videndum erit, ut inter se apte congruant; ut neque contextu longorum tarda sint & pigra, neque cumulo brevium inconstantia sint & quasi resultent. In medio itaque orationis cursu leviter erit intersistendum eruntque circensium pedes, qui si non moveantur, tamen vestigium faciunt, quodammodo imitandi. Atque omnino ut carmen Hexametrum Dactylis & Spondeis suaviter variatur, sic etiam in oratione longorum breviumque vocum varietas, modo ne noceatur gravitati, jucunde adhibebitur. Quomodo sapientia est fundamentum omnis Eloquentiæ, ita hic dicenti quid deceat, quid in quemque locum optime quadret prudenter erit observandum. Neque vero hanc dicendi diligentiam ubique considerari licet, atque tum etiam cum numerose dicere volumus, efficiendum, ut numerus non sponte exstitisse, non quæsitus esse videatur u). Atqui satis

t) Cic. de Orat. Lib. III. Cap. 49.
u) Adhibenda est igitur numerosa oratio, si aut laudandum est aliquid ornatius, aut exponenda narratio, quæ plus dignitatis

omnia illud animadvertendum existimamus, quod, ut eloquentia, generatim considerata, sic haec numerose dicendi facultas, non tam arte & praeceptis, quam natura & ingenio comparari potest. Invita scilicet Minerva nihil magni & egregii unquam existere poterit. Neque hac in eam disputo sententiam, quasi ad praeclarum quiddam & singulare efficiendum sola natura sufficeret. Natura ipsa sicut animus corpori ars inerti; quae, cum intime conjunctae fuerint, tum demum egregium illud efficient. Quam ob rem qui gloriam numerose dicendi consequi cupit, artem ita adhibendam existimet ut simplicitati naturae subveniatur, non noceatur. Huic quoque auctores qui doctissimo cuique maxime probantur, ad imitandum proponendi sunt eorumque scripta crebro pervolutanda. Accedat denique frequens scribendi exercitatio, *Stilus enim est optimus & praestantissimus dicendi effector ac magister* v).

---

desiderat, quam doleris. "Saepe etiam in amplificanda re concessu omnium funditur numerose & volubiliter oratio." Cic. Orat Cap. 65.

v) Cic. de Orat. Lib. I Cap. 33.

Corrigenda:

In pag. 7 & 8 Notae in & o ita corrigantur, ut, quae ad literam a posita est, ea ad literam m referatur & contra. Pag. 11 ut Cicero; l. ut ait Cicero, — perpetuare, l. perpetuare — alias, l. aliam. Pag. 14. conetur, l. consulat. Pag. 15. illus, l. illius. Praeterea commissa quaedam notet excudendum ex prelo exciderunt; cetera, si quae obvenerint, L. B. benigne corrigat.






GIUSEPPE MASI
FIRENZE